

/ Admodum Reverende Pater. Gratissima mihi fuit epistola Reverentiae Vestrae ex Philippinis insulis missa; nihil enim jucundius audio, quàm fratres meos in lucrandis animabus strenue laborare. Accepi etiam anulum osseum in signum antiquae nostrae benevolentiae; <sup>5</sup> alioquin ego non multum timeo venenum, nec soleo hujusmodi amuletis uti. Unum oro, ut particeps fiam meritorum vestrorum, ut in caelesti ~~p~~atria simul esse possimus. Nam etiamsi nos quoque assidue laboramus in agro Ecclesiae colendo, tamen sine comparatione ulla labores vestros pretiosiores apud Deum esse non dubito. Pergat Reverentia <sup>10</sup> Vestra alacriter et fortiter, ut facit, et mei sit memor in sanctis precibus suis. Romae die 25 Januarii 1614.

---

Epist.fam. CV.